



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quot contra Christianos tormentorum genera excogitata fuerint. Cap. LI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

motus à natura datos, ad acerbiora suppliciorum genera inuenienda intenderent.

Quot contra Christianos tormentorum genera excogitata fuerint.

CAP. LI.

Licuerat tum, licuerat inquam cernere, quanta cum animi alacritate, egregii pietatis athletæ, in crudelitate continua, non vulgares, sed nouas in dies singulos afflictationes pertulerint. Quippe modestia, quam nullus hostis aliquando læserit, furorem iracundorum & amentium ciuium multo effecit truculentiozem. Quæ incendii flamma fuit, quis crûciatus, quod tormentorum genus, quod non fuerit omnium sanctorum corporibus, nulla etatis ratione habita irrogatum? Eo tempore terra reuera lachrimas effudit: mundus res vniuersas suo complexu coercens, tabido cruore inquinatus, fletum edidit: dies etiam ipsa præ lugubri prodigii calamitate obscurata est. Sed quid ista commemorem?

Quod Barbari Christianos summa cum humanitate susceperint.

CAP. LII.

Barbari inde iam gloriantur: qui quidem eos, qui per idem tempus à nobis aufugerent, in tutelam receperunt: & licet illos tenuerint, vt captiuos, tamen humanissime tractarunt. Nam non solum in ea securitate collocarant, vt salutem, sed etiam, vt religionis suæ instituta & ritus retinere possent. Et iam Romani hanc maculam ad longinquum tempus continuatam sustinent, quam Christiani, eis imprimebant, eo tempore, quo ex eorum ditioze eiectione, ad Barbaros confugerunt.

Cuiusmodi plaga exceperit illos, qui propter vaticinationem, persecutionum auctores extiterant. CAP. LIII.

Sed quid attinet pluribus, mæceros illos, & communem totius orbis luctum persequi? Sceleris vero auctores præterquam quòd in Acherontis barathrum